

J. Wang, préparation à l'agrégation de Lettres Modernes, 2021-2022
Devoir sur table : lundi 15 novembre, 8h-12h

Version latine n°5 : *libido sciendi*

Augustin distingue deux types de concupiscence induite par l'expérience sensorielle : celle qui vise au plaisir, et celle, décrite ici, qui vise à la connaissance.

Praeter enim concupiscentiam carnis, quae inest in delectatione omnium sensuum et uoluptatum, cui seruientes depereunt qui longe se faciunt a te¹, inest animae per eosdem sensus corporis quaedam non se oblectandi in carne, sed experiendi per carnem uana et curiosa cupiditas nomine cognitionis et scientiae palliata. Quae quoniam in appetitu noscendi est, oculi autem sunt ad noscendum in sensibus principes, concupiscentia oculorum eloquio diuino appellata est.

Ad oculos enim proprie uidere pertinet ; utimur autem hoc uerbo etiam in ceteris sensibus, cum eos ad cognoscendum intendimus. Neque enim dicimus : « audi quid rutillet, » aut : « olefac quam niteat, » aut : « gusta quam splendeat, » aut : « palpa quam fulgeat » : uideri enim dicuntur haec omnia. Dicimus autem non solum : « uide quid luceat, » quod soli oculi sentire possunt, sed etiam : « uide quid sonet, » « uide quid oleat, » « uide quid sapiat, » « uide quam durum sit. » Ideoque generalis experientia sensuum concupiscentia (sicut dictum est) oculorum uocatur, quia uidendi officium, in quo primatum oculi tenent, etiam ceteri sensus sibi de similitudine usurpant, cum aliquid cognitionis explorant.

Ex hoc autem euidentius discernitur quid uoluptatis, quid curiositatis agatur per sensus, quod uoluptas pulchra, canora, suauia, sapida, lenia sectatur, curiositas autem etiam his contraria temptandi causa, non ad subeundam molestiam, sed experiendi noscendique libidine.

Augustin

¹ L'interlocuteur est Dieu.